

maximum spafium^c bello commisso, ac^cerfimo, ubi ex hostibus cecidere quam plures, demum, ut [a] sanctissimo placuit Creatori, in fugam omnes conversi sunt hostes; quos fere usque ad fluvium Imolae [A] persecuti sunt nostri, prosternendo ac capiendo. Post haec [b] gratias Deo agendo, revertuntur, viros colligendo et equos huc et illuc vagantes per agros. Alii vexillis et armis, atque diversorum generum onerantur spoliis. Super Bononienses quoque, gladiis interemptos vel mortiferis affectos vulneribus, sapientes viri atque discreti non modicum tristabantur. Fuerat namque a principio praelii [c] satis cautum et fortiter imperatum, ne quis scienter offenderet. Verum, cui gladius secundo in bello [d] unquam pepercit? [e] Quae sagitta emissa novit red^{part} ei? [f] Ex parte itaque hostium cxx sunt rapti de medio, ultra septingentos vinculis emancipatos [g]; ex Faventinis, duo tantum cives interiere cum rustico, uno; captus profecto fuit nullus. Qui vero ex hostibus tantam evasere ruinam, domum regressi [h] sunt. Rectores, omnesque natu et discretionem maiores, dignos iudicant morte turpissima, eo quod tantos amicos tanque antiquos immensitate fulvi [i] metalli deserere voluissent; quibus etiam tantam a principio [j] displicuerat nefas, iam domum reversis non modicum insultabant, dicentes Deum justissimum iudicem, qui fraudem nemini patrocinari permittit. At Ravennates, audientes qualiter in bello suis contigerat amicis, gavisii sunt gaudio magno, sperantes, nec frustra [k] navim propriam, omni vento salubri penitus destitutam, posse amicorum ruina [l] utcumque fluctus evadere. Per idem tempus Faventiae equi, coraces, loricae et cetera arma, prae multitudine nimia, ad vilitatem sunt redacta non modicam. Domus quoque vix inveniebantur aptae captivis, quos Faventini ex suis omnibus ceperant inimicis (67*). 3/

Quando Bononienses et Ravennates venerunt Faventiam, et tunc inter eos et Faventinos, pax reformata est.

CAP. LXXII.

In diebus illis, volentes Bononienses suam vindicare iniuriam et captivos, quos Faventini detinebant in vinculis, expensis decem millibus libris et ultra, per Tusciam, Lombardiam et Marchiam innumerabilem congregaverunt exercitum, et sic manu arma-

[a] demum ut, Codd. V. et A.; dampnum ut, C. M. — [b] Post haec, C. M.; Post hoc, C. V. — [c] a principio praelii. Sic Codd. M. et V.; a principio belli, legit Cl. Mitt. — [d] secundo in bello. Sic lego. C. M., semodo in bello; Codd. V. et A., secundo in praelio. — [e] unquam pepercit? Sic lego. Cod. V. et cl. Mitt. habent iniquum pepercit? — [f] novit reduci? Sic cl. Mitt. legit; novit reverti?, C. V. — [g] vinculis emancipatos, C. M.; in vinculis emancipatos, C. V. — [h] domum regressi, C. V.; domui regressi, C. M. — [i] immensitate fulvi, C. V.; in mensitate fulvi, C. M. — [j] tam a principio. Sic legit Codd. cl. Mitt. In C. V., tantum a principio. — [k] nec frustra, Codd. M. et V.; frustra, cl. Mitt. — [l] amicorum ruina, C. V.; amicorum ruinam, C. M.

[A] Nimirum Santernum, prope Imolam, ex ea parte qua vergit ad Faventinam ditionem.